Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1943
Quelle:
Copyright:

Proavi sui. An Ogdostichon istud alicubi insculptum sit, vel lucem viderit, nescio.

VI. *fol.* 333. Triga *Collationum.* 1) *in die parasceues Anno* (14)XLV. ut in calce: *per M. Jacobum de Wuldersdorf.* de quo propter Codices donatos non semel nobis mentio. Initium: *Sustinuit crucem confusione contempta, scribitur ad Hebr. 12. c. Reuerendi patres et domini* &c. *Beatus Crisostomus in quodam sermone* &c. 2) item *in die parasceues Anno Domini* 1446. ut in calce: *per M. Paulum de Mellico in Collegio ducali.* Initium: *Ad laudem beatissime trinitatis in predigna concione Vestri Venerabilis cetus* &c. 3) *Sermo M. Thome H.* id est, *Haselbachii* pro Festo Theophoriae in illud: *Caro mea vere est cibus* &c. *Joh. 6.* hoc initio: *Cristus Dominus sue passionis et infiniti amoris volens nobis relinquere memoriam* &c. Exit in recensum Indulgentiarum hoc Festum specialiter colentibus collatarum ab *Urbano* IV. et *Martino* V.

VII. *fol.* 345. *Questio de Signis apparentibus circa Sacramentum altaris.* Orditur: *Vtrum caro aut sangwis christi visibiliter in sua propria forma totaliter uel secundum aliquam sui partem habeatur hic in terra?* Exponuntur varii Casus Adparitionum insolitarum circa sacram Hostiam, qui contigisse feruntur, examinantur theologice, moventur et solvuntur Dubia, et proceditur continuo ad hanc Quaestionem: *Vtrum christus omnem sanguinem qui de corpore suo effluxit, in eodem corpore hora refurrectionis glorificauit?* Hinc porro detegitur totius Tractationis autor; haec enim Quaestio in edit. *Opp. Joh. Hussi* 1715. T. I. p. 191. legitur, simulque patet, Editores non nisi Opus ἀκέφαλον Lectoribus propinasse, et caruisse eorum Exemplaria *prima Quaestione*, qua Vir ille callidus dextre, uti norat, viam *secundae* praemunivit. An ille *Viennae* unquam moratus fuerit, ignoro. Interim mox sub ingressum *Quaest.* I. lego: *Ostenditur etiam hic Wienne in quadam tabula aurea aliquid de eadem carne prepucij.* Verum id fuisse liquet e Libello vernaculo cura *Matth. Hewpperger* per *Joh. Winterburger* a. 1502. et 1514. c. figg. 4. apud nos impresso, sane raro et a me in *Hist. Typogr. Vien.* pp. 15. et 101. descripto; sed, nisi τὸ *hic* interpolatoris dicam, non aliter me expedio, quam illud sensu ampliato sumendo; cum enim *Hussus* antea de *Roma* locutus fuisset, facile regionem regioni, *Germaniam Italiae* obponere potuit. Non absolvit Librarius noster totam *Quaestionem* II. sed manum sustulit in verbis: *Octauo quod de fide constituta a christo* — —, quae habentur paullo ante finem, in Edit. p. 201.

VIII. *fol.* 358. *Tractatulus dulcissimus B. Bernhardi ad fratres.* et disertius in calce: *super ewangelium sancti Johannis videlicet ante diem festum sciens ihesus, quod venit hora eius* &c. Puta *Sermones*